DE ADVENTV SANCTI SPIRITVS DEQ· CHRISTIANAE REIP· STABILITATE

ANTONII PAVLI

Oratio Secunda.

HABITA ROMÆ IN TEMPLO Vaticano Die Pentecostes anno 1606.

AD PAVLVM V· PONT· OPT· MAX· ET SACRVM SENATVM.



ROMAE, Apud Carolum Vulliettum. *MDCVI.*

Superiorum permissu.

ILLVSTRISS.MO PRINCIPI

SCIPIONI CARDINALI BVRGHESIO

ANTONIVS PAVLVS felicitatem D.

Conſtans, & crebra ſententia eſt Principes viros nulla re magis animos hominum ſibi deuincire, quàm arctiſsimis vinculis humanitatis. Eius enim propria natura eſt homines Deo quam ſimillimos efficere. Atque hac potiſsimũ de cauſſa orationem hanc in lucem prodeũtem tui nominis præſidio fulciendam duxi. Nam quis ad fontem benigni-

tatis non accedet, quæ in medio posita est occupanti? aut quis non expetet Scipione, hoc est firmissimo baculo sustineri? Etenim hoc tibi Scipionis nomen diuinitus impositum auguror. Sicut enim eius nominis appellatione significabat antiquitas baculum, cui vitis innititur; ita si dixerim Christianam Rempublicam, quæ & vitis & vineæ similitudinem in sacris paginis gerit, tuis humeris quodammodo sustentari, non mentiar. Vale.

ORA-

ORATIO SECVNDA.

SI VLLA vnquam summa totius Ecclesiæ Catholicæ iucunditate est celebrãda solemnitas; hæc profectò iucundissima lux sacratissimo Sancti Spiritus Aduentui consecrata: hæc inquam ceterarum fere omnium præstantissima celebritas est; qua nulla lætitia, nulla iucunditas, nulla exultantium animorum alacritas esse satis debet populo Christiano. Nam illa cordibus nostris essent concipienda gaudia, quæ Apostolorum erant inclusa pectoribus; cum non solum eius rei gestæ memoria renouetur; verum etiam idem ille Spiritus diuinus, quem hodie tanta vbertate in cælum euectus Dei filius effudit, perpetuo nobiscum maneat, & in dies magis, ac magis amplificata diuinæ largitatis munificentia adulta iam experiatur Ecclesia, quicquid illius incunabula habuerunt. Quocirca cum secundo ante hunc anno ex hoc loco verba faciens ostenderim, qua ratione corpus Ecclesiæ à Christo formatum Spiritum illum vitalem, diuinumque conciperet, quo per omnia membra diffuso aptissimus quidam fieret eorum inter se nexus, admirabilis consensio, maximum totius corporis robur, pulcherrimaque venustas: dicam hodierna die, quo pacto idem Ecclesiæ Catholicæ corpus huiusmodi in omnes posteros firmitatem consequutum sit: vt diuinitus in hanc sententiam Sanctus Augustinus dixerit, Adhuc habet Ecclesia, quod crescat, donec illud impleatur, Dominabitur à mari vsque ad mare. Non enim cum cæteris rebus publicis hæc nostra

com-

comparanda eſt. Illæ humana ratione, & prudentia, vel potius calliditate nituntur: hæc ipſius præpotentis Dei ſapientia, Sanctique Spiritus conſilio gubernatur, ac regitur. Quare non mirum ſi illæ ſuo motæ loco, vbique terrarum vagātes, diuerſorium habere cogantur, vel penitus humanis concuſſæ viribus concidant, vel ſaltem temporis vetuſtate labantur, & corruant: hæc autem nullo ſit interitu hominum extincta, nullis expugnata fraudibus, nulla temporum iniuria labefactata, nulla regionum vaſtitate ſemota, nulla rerum humanarum conuerſione commutata. Quin immo in hac ſuprema ceterarum omnium arce locata idē ſemper teneat, quod tenuit ſtabile, fixumque domicilium. Nam vt interim ſileam tot immaniſſimas Tyrannorum inſectationes, tot atrociſſimas Martyrum neces, quibus Eccleſia non diminuta, ſed aucta in ampliſſimam ſobolem germinauit, veluti terra, quæ ex frugum tantulis granis, aut ex ceterarum rerum minutiſſimis ſeminibus tam vberes gignit ſpicas, tantos truncos, ramoſque procreat. Quod genus pugnæ magis exitioſum reperiri vnquam potuit, quàm id, quod à nefarijs hæreticæ prauitatis magiſtris quàm ſæpiſſime indictum eſt? Sparſa ſunt primum Diabolicæ ſemina falſitatis, concitatæ ſeditiones, atque diſcordiæ, ſacra, prophana commixta, & conturbata. Deinde turbulentis clamoribus, diſſimilibus, & inter ſe pugnantibus erroribus plena omnia: familiæ, oppida, ciuitates, prouinciæ totæ in armis non vſitato, non humano more tumultuantes. Poſtremo ſacratiſſima templa incenſa, ſanctorum Imagines, & monumenta vbique proſtrata, pollutæ Religiones, omnia Iura diuina, & humana violata. Verum non potuit diu ſpiritus Diaboli ſpiritui Diuino reſiſtere. Compreſſa tandem, & extincta ſunt omnia. Quamquam enim paucis abhinc annis impuriſſimi quidam greges transfugarū, pudendarum fictores fabularū, pernicioſiſſimæ generis humani peſtes, Catholicæ Religionis hoſtes acerrimi extiterint; ita vt non nullis membris in latiſſima extremi Aquilonis regione abſciſſis, ac ſegregatis, ceterum corpus miſerandum in modum afflixerint: iiſdem tamen temporibus in vltimis terræ finibus ita hæc diuina reſpublica propagata eſt, vt loca omnia peruaſerit, maximas orientis, obeuntiſque ſolis nationes occupauerit, nouos, vt ita dicam, terrarum orbes huic noſtro coniunxerit. Ita igitur arida

illa

illa, & distracta membra, vt ceteræ perantiquæ disciplinæ computrescent, quià non alium habent auctorem, quàm malum Dæmonē, callidissimum fraudum, & mendaciorum architectum, infestissimū hostem humanæ felicitatis: hoc vero corpus quotidie magis virens, ac florens, maiora suscipiet incrementa; quia quasi animam habet ipsam veritatem, quid dicam amplius? Spiritum Sanctum, Deum ipsum. Illa denique cito soluentur, quibus non alius propositus finis est, quàm effrænata viuendi licentia, atque innata quædā semina discordiarum: hoc autem perpetuo colligatum permanebit arctissimo, atque suauissimo nexu charitatis. Hæc est vnica conglutinatio, per quam castissimum illud nectitur connubium, tolluntur omnia dissidia voluntatum, omnium animi copulantur. Hoc est vinculum perfectionis, per quod Respublica cohæret; ille spiritus vitalis, quem omnes trahunt; perennis totius virtutis fons, optimus ille omnium magister bonorum. Quæ si desit, frustra quæruntur cetera, nihil prosunt continuæ vigiliæ, indefessi labores; etiàm Prophetia, & Martyrium nihil esse creduntur. Tolle nexum charitatis, ruunt omnia; quicumque in vnum sunt, molesti, odiosi, turbulenti sunt; quodcumque corpus velut sine spiritu mortuum iacet; nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum genus vniuersum stare potest. Quid erit Respublica nisi mare calamitatum? quid Regna, nisi latrocinia? quod ciuitates, nisi ciuium cædes? quid domus, nisi turbatio quietis? Adeo nihil tutum, nihil stabile, nihil diuturnum esse potest sæuiente discordia: ex altera vero parte nihil nisi præclarum, & illustre; nihil nisi gloriosum, & salutare oriri potest ex amplissimo munere charitatis, cælestisq. concordiæ. Docet hoc, ne externis, longeq. ascitis vti videar exemplis, docet inquam, Beatissime Pater, admirabilis illa summorum Patrum consensio, qua ad supremum Pontificatus apicem euectus es. docet iucundissima totius Populi comprobatio, qui palam fatetur occultam fuisse Sancti Spiritus adoptionem. Atque vtinam quantum optimi quique de te audire cupiunt, tantum ego dicendo referre possem; quantaque inest omnium animis gratulandi voluntas, tanta mihi facultas, copiaq. dicendi concederetur. Vberius profectò, ac fusius mea vagaretur oratio, quàm tuæ religiosissimæ aures, temporisque patiantur angustiæ. Illud vnum silentio non

præte-

præteribo, præclarissimam illam coronam tuis virtutibus iam diu destinatam, anno superiore hac solemni die impositam esse; vt omnes intelligant, illum nobis diuinitus datum esse Pontificem, qui turbulentis tẽporibus firmissimum sit Christianæ Reipublicæ propugnaculum, & Petri naui culam, varijs fluctibus agitatam, eiusdem sancti Spiritus benignissimo afflatu prouehente rectam teneat, saluamque in portu collocet fœlicitatis.

Imprimatur si placet R.P.Mag.S.Palatij Apostolici.
B. Gypsius Vicesger.

Imprimatur. Fr. Paulus de Francis Magister & Socius Reuerendiss.P. Mag.Sac.Palatij Apostolici.